



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *DETROITENSIS ET ALIARUM
(KALAMAZUENSIS ET GAYLORDENSIS)**** DIOECESIIUM LANSINGENSIS, GRANDORMENSIS,
SAGINAVENSIS,

ATQUE ARCHIDIOECESIS DETROITENSIS FINES IMMUTANTUR;

EX IIS PRAETEREA DUAE NOVAE DIOECESSES CONSTITUUNTUR, «KALAMAZUENSIS» ET «GAYLORDENSIS»
NOMINE. Qui universae Ecclesiae, seu «charitati» (S. Ignat., ad Rom., prol.), divino consilio praesidemus et instantia
cotidiana ac sollicitudine omnium Ecclesiarum, in beati Pauli apostoli similitudinem (cf. 2 Cor., 11, 28), afficimur, tum
muneri Nostro magna ex parte satis fecisse putamus, cum dioecesibus per aptam rerum, finium, locorum dispositionem
proverimus: ordo enim et apta rerum compositio micis consuevit in omnibus utilitates afferre. Quam ob rem, cum
per amplae archidioecesis Detroitensis et dioecesium Lansingensis, Grandormensis ac Saginavensis territorium late
pateat earumque fines necessitatum huius temporis ratione habita parum apti videantur, visum est venerabili Fratri
Nostro Ioanni S. R. E. Cardinali Dearden, Archiepiscopo Detroitensi, et venerabilibus Fratribus quorum interesset, et
Episcoporum coetui Civitatum Americae Septemtrionalis Foederatarum bonum esse si fines harum Ecclesiarum
immutarentur atque duae novae Sedes episcopales ex ipsis conderentur. Quam sententiam Nos, auditis venerabilibus
Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacrae Congregationi pro Episcopis praepositis, itemque venerabili Fratre Aloisio
Raimondi, Archiepiscopo titulo Tarsensi et in ea natione Apostolico Delegato probantes, re bene considerata, haec
decernimus. Ab archidioecesi Detroitensi duo comitatus vulgari sermone Lenawee et Washtenaw cognominatos,
separamus; item a dioecesi Lansingensi, hos, qui sequuntur detrahimus: Berrien, Cass, Saint Joseph, Branch, Van
Buren, Kalamazoo et Calhoun; a dioecesi vero Grandormensi quos Isabella, Clare, Allegan, Barry, Manistee, Wexford,
Misaukee, Roscommon, Benzie, Grand Traverse, Kalkaska, Crawford, Leelanau, Antrim, Otsego, Charlevoix, Emmet et
Cheboygan dicunt; a dioecesi Saginavensi praeterea comitatus: Presque Isle, Montmorency, Alpena, Oscoda, Alcona,
Ogenaw et Iosco; tandem dioecesi Lansingensi comitatus Lenawee et Washtenaw adiungimus, Saginavensi vero
Isabella et Clare. Novem comitatibus qui sequuntur, id est: Allegan, Barry, Berrien, Cass, Saint Joseph, Branch, Van
Buren, Kalamazoo et Calhoun novam dioecesim condimus *Kalamazuensem* cognominandam, cuius sane erit Sedes in
urbe Kalamazoo, Episcopi cathedra in templo S. Augustini Episcopi, Confessoris et Ecclesiae doctoris collocata, cui
cathedralium aedium honores et dignitas deferuntur. Item e comitatibus Manistee, Wexford, Misaukee, Roscommon,
Benzie, Grand Traverse, Kalkaska, Crawford, Leelanau, Antrim, Otsego, Charlevoix, Emmet, Cheboygan, Presque Isle,
Montmorency, Alpena, Oscoda, Alcona, Ogemaw et Iosco novam aliam dioecesim constituimus, *Gaylordensem*
appellandam, cuius Ecclesiae urbs Gaylord princeps erit atque Episcopi Sedes, cum debitis privilegiis, posita ab eodem
cathedra sui magisterii in templo B. M. V. Dominae Nostrae de Carmine, cui omnia iura et honores damus templorum

cathedralium. Duae autem has Ecclesias Detroitensi Archiepiscopo Metropolitae suffraganeas facimus, cui earum Episcopi obnoxii erunt ad normam iuris. Mensa episcopalis efficietur Curiae proventibus, populi collationibus, bonis, si qua sunt, quae novis Ecclesiis obveniant ad legem canonicam 1500 C.I.C. Canonicorum Collegium in utraque Ecclesia condatur; interim Episcopi dioecesanos Consultores deligant, qui eos consilio atque opera invent. Ad Seminarii electionem quod attinet, ad puerorum quos Deus ad sacerdotium vocaverit formationem, similia, serventur praescripta Iuris Canonici, ratione habita Decreti *Concilii Vaticani II «Optatam totius»* et normae a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica traditae. Iis autem litteris ad exitum deductis atque dioecesibus Kalamazuensi et Gaylordensi constitutis, Sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio officium aut beneficium habeant; ceteri sacerdotes clerici et Seminarii tirores, ei, in qua legitimo domicilio degant. Documenta vero et acta quae novas dioeceses respiciant, earum Curiis episcopalibus mittantur, religiose servanda. Ceterum, has Litteras Nostras venerabilis Praeter Aloisius Raimondi, quem memoravimus, exsequi studeat, vel ille quem ipse delegaverit. Qui, re acta, documenta exarari faciat atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mitti. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis decembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri octavo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA	CAROLUS Card. C ONFALONIERI
S. R. E. Cancellarius	S. Congr. pro Episcopis Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, *Protonot. Apost.*Eugenius Sevi, *Protonot.**Apost.*

*A.A.S., vol. LXIII (1971), n. 10, pp. 721-723 © Copyright 1970 - Libreria Editrice Vaticana